

Digressio Innocua, ac necessaria

Adnotationes primae

Cessantibus aliquamdiu varias ob caussas congressibus consistorialibus; potissimum vero ex ea ratione, quod propter immutatam oeconomicam administrationem, eamque a senatu oppidano ad Illustrissimum D[omi]num Terrestrem redeuntem, nostratum hominum animi non leviter sunt contristati; Hinc enim oppido nostro imprimis magistratui oppidano variae molestiae enatae sunt, Urbario oneroso satis instituto, servitiis ac laboribus in usum Dominii praestandis anctis, et cassa publica penitus deficiente. His inquam ita ordinatis hominum nostrorum animi in caepo laudabili opere remissiores facti, consistoria jam ab aliquo tempore silent; cum tamen (quod fatendum est) res ecclesiae nostrarae tam salutaris, inattentis istius modi extrinsecis difficultatibus, prosequi omnino ac continuari debuisset, ad Dei gloriam, et ecclesiae utilitatem.

Ne igitur liber hic chartaceus, consignandis ecclesiae nostrarae rebus comparatus ac destinatus, a tineis blattisque invadatur, neve istae paginae vacuae manere debeant: ego, qua consistorii designatus notarius, mearum partium esse duxi, huic libro inscribere res quasdam memorabiles, olim ad huc ecclesiae huic profuturas, ut pote ex quibus multa de statu [2] antiquo oppidi nostri pernosci possunt. Judico enim inexcusabilem esse ignaviam, tam in civili quam ecclesiastico statu, si acta talia in rem posteritatis facientia, intercidere memoriaque deteri permittantur. Certe oppidum nostrum, ipsis hominibus nostris fatentibus longe feliciori sorte nunc gauderet, si veteres incolae, cum primis Senatores, vel in expetendis extrahendisque ab antecedentibus Dominis Terrestribus, fidelitatis suae suorumque testimoniis fuissent solertiores; vel in illis quae actu ipso hinc inde impetrarunt conservandis diligentiores. Sed quod maximopere dolendum est, pauca vel fere nulla supersunt oppido nostro hujus generis instrumenta plerisque vel situ et squalore oblitteratis, vel quorumque demum modo ob summam populi huius simplicitatem et antiqui magistratus incuriam pereuntibus. Huius generis ruditati et summae imperitiae exemplo esse potest factum D[omi]ni Francisci Déák, aliquot vicibus hoc oppido judicis, qui Diploma Regium ac Domini Terrestris, quo eximii nostri oratorii, eiusdemque deinde cincturae structura benigne indulta ac permissa fuerat in loculum aliquem parietis templi, lateribus clausum tanquam in tutum conservatorium re condidit, et quidem sine solidioris materiae cistula, aliquali solummodo papiraceo involucro contectum. Quod diploma post aliquot annos [3] prudentioris forte alicuius consilio, et ut opinor verisimiliter, D[omi]ni Stephani Czeglédi cum e dicto loculo extraheretur, magna fui parte mucore obductum et putrefactum est deprehensum, cum nunquam satis deplorabili damno ecclesiae huius Vásárhelyiensis, et jactura irreparabili.

Ut iam quod intendo, uberior exponam ere esse duxi fideliter adnotare funestissimum illum casum, qui anno 1753. in hoc oppido contigit. Rei brevis historia ista est: Erat hic civis quidam profligatae malitiae, de homine *Franciscus Petö*. Hic cum nom[ino] nom[ina]ndo *Törö* accola Thuriensi, homine pecunioso, clanculum conspirabat et seditionem nefandam contra regiam maiestatem excitare ausu plusquam diabolico moliebatur. Prouti eventus docuit, ita inter duo mali capita, scil[icet]: Viros vel nefarios duos consensum erat, ut *Petö* heic et in locis vicinis, *Törö* autem in Thúr et adjacentibus pragis factiosos conscriberent. Hujas *Petö*, credibile ex composito prior rem incepit, et ut animis praecognitas perniciosas dispositiones eo felicius (ad mentem suam) prosequi, et in effectum deducere valeat: adhuc anno praecedenti 1752 cum quinque aut sex juvenibus ad suas partes pertractis, Nandor Alban sive Belgradum profectus est; ut dolus lateat, acceptis litteris quoque salvi commeatus, sive passualibus. Fingebat quippe se pororum emendorum caussa velle proficisci in vicinum Banatum. Intentio erat, cum Bassa turcico Belgradiensi de summa rei deliberandi. Ibi quid actum fuerit nos latet. Illud saltem certum est, nefarios homines armis ac consiliis [4] Turcarum (si res pro voto successisset) fuisse usuros. Verum eventus elusit stolidorum stultissimam opinionem.

Reversis et suo itinere Banali ut credi volebant pessimis hominibus, suspicio nata est in quorundam proborum hominum animis, illos sub praetextu negocitationis aliud quidpiam celasse. De tam perniciose illorum conatu nullus vel cogitare potuit, sed solummodo¹ opinione ductus pius magistratus, illos in jus vocavit, examinavitque, quid, ubi locorum egerint. Illi simplicibus palpum obstrudere, se, suumque factum fictis coloribus adnisi excusare, post peractum examen dimissi sunt.

Profectio ista nefariorum hominum, ex eaque reversio, et tandem illam consecuta censura magistratu his dicti anni mensibus autumnalibus facta erat. In secuto autem vere, jam jam renatis herbis, nequam homines oportunum tempus adesse rati ad deducenda in effectum perfidiae suaे deliberata, in popina quadam clanculum convenerunt, praeside vel corifeo malorum *Francisco Petö* (ut haec et reliqua omnia illorum facta postliminio cognita sunt). *Petö* igitur tribus quatuorve juvenibus quos jam antea splendidis promissis in suas partes pertraxerat, plures quoque adscivit, totaque hyeme in id allaboravit, ut ineunte vere cum insigni manipulo provide valeat. Idem ejusdem collega, Thuriensis *Törö* moliebatur, spesque utrosque ea lactabat, ut *Petö* heic, *Törö* suo loco conscriptis quam plurimis factionum partibus tandem voto potirentur, et classicum canerent. Haberunt quoque *Petö* et Thuriensis *Törö* suas clanculum

¹ Kihúzva: opinio supr.

conferentias, et missas acceptasque legationes, quibus se mutuo de rerum progressibus facerent certiores. *Jenei* quidam, antea studiosus Thuriensis, sed culpa sua schola ejectus agebat [5] legatum Thuriensis nequam *Törö*, qui, quadam occasione coram clariss[im]o D[omi]no collega specie studiose comparens, flagitaverat, ut die in sequenti (dies erat sabbathi) permissum illi foret hora vespertina, quae claris[si]mum collegam spectabat, pro concione dicere. Divino instinctu factum, quod vir cl[a]r[i]ssimus petitioni huic abnuebat, semetque futurum ista hora actorem in caetu sacro pronunciaverunt.

Priusquam vero erumperent, hic illic sparsim vagati sunt, itinerantium praetextu. Acciditque ut inter alia loca prope oppidum Halas, minoris Cumaniae oppidum, in diversorio quodam tres quatuorve factiosorum istorum hujatium comparerent. Ubi cum potu vini incalescerent, quasi arcanorum suorum obliti, peregrinis combibonibus institutum suum vel nolentes eblaterarunt, credebare, ea intentione, ut eos, vel ex iis saltem aliquos in suam societatem adsciscerent. Id quod prout ipsis in condignam perniciem; ita D[omi]no Herpai, propolae istius diversorii in maximum commodum vertebat. Quippe, dictus D[omi]nus n[omen] n[escio] Herpai verba illorum, ipsis nescientibus accurate observabat, et tamquam pessimi omnis, quantocius senatui Halasiensi fideliter referebat. Quo factum, ut ab senatu Halasiensi, huc Vásárhelyinum nuncius missus esset, qui referret huius farinae cives nostros isthic oberrasse, taliaque ac talia verba fuisse locutos. Proinde nostris indicibus incumbere, ut istos tanquam sibi proxime subjectos in censuram [6] adtraherent, examinarentque serio. Functus est illa legatione D[omi]nus Johannes Komaromi per honestus civis Halasiensis, mihius olim in Collegio Debreciniensi familiaris.

Judices nostri, ut ea intellexerunt, errores istos, ut domum redierunt carcere clausos, illinc dein extractos sollicite examinarunt; verum illi, objecta ipsis partim praefracte negarunt; partim vero si quae dixissent, per jocum duntaxat, more symposiacorum se locutus fuisse, neque quidquam mali animis suis vel fovere, vel unquam fovisse constanter quin indignabundi asseveraverunt. Nulla omnio malitia sed pura puta simplicitate ducti judices nostri examinatos nequam homines, tanquam nullius aperti criminis convictos (cum nulli testes adhiberi poterant) liberos dimiserunt. Quo facto dictus D[omi]nus Komáromi, qui censurae interfuit, Halasinum unde legatus venerat, reversus est, quide hic actum fuerit, senatui suo retulit.

Haec senatus Halasiensis nostratis facta notificatio, eidem in delegata possea excelsa commissione honori ac laudi inserviebat, nostris e contrario ignavia accusatis.

Interea seditiosi, jam absolutione liberos ac insolentiores facti, nihil non egerunt clanculum, quod votis suis potiendis idoneum arbitrati sunt. Itaque mense majo² dicti anni modis quibus vis tectum hucusque facinus subbest propalarunt in hunc modum.

Uno dicti mensis die Dominico per popinas vagati principili nefariorum, complicibus.

[7] Suis, procul dubio ad hoc praetextu compotationis evocatis notificarunt, insequenda nocte ut singuli equis armisque qualia nancisci poterant instructi in popina extra oppidum, coemeterio proxima convenienter. Quod ipsum praestiterunt quoque, et viginti quinque vel sex numero ea ipsa nocte taciti confluxerunt, indeque ad pascua Vasarhelyiensium primum iter direxerunt, eo ut postae cognitum consilio, ut hinc inde ex equorum armentis, ii qui adhuc equis carebant, eosdem sibi rapto adquirerent.

Hoc terribili viginti et aliquot hominibus desuper contemte exercitu, stolidissimi juvenes se Domito res orbis futuros rati e medio nostri eruperunt, et arreptis hic inde equis, trajecto in maxima festinatione flurio Krysio, versus Thur profectionem inierunt, eo ut creditum postea consilio, ut a supremo prout censeri volebat campi Maresallo Törö, mandata de rerum prosequendarum modis ac mediis accipient.

Itaque mane diei, funestam istam noctem insecutae rumor ad oppidanorum aures perlatus est, majorem longe quam revera fuit nefariorum hominum globum, armis instructum rebelli animo, et seditionem ciendi conatu e medio nostrum exiisse. Quippe non prius a popina suboppidana discesserunt, quam cauponae et aliis forte illic nocte ista genio suo in dulgentibus meditata suam rebellionem velut tripudiantes effuxirent.

Rumor hic probos quoslibet oppidi nostri cives vehementer concussit, et miserandum in [8] modum adflxit. Simplicissimi, alioqui fideles oppidi nostri senatores p[er] nimia rei nefandae consternatione, quasi obriquerunt, et quae qualia ve sint in his adversis capessenda consilia, non leviter anxi disquisiverunt. Primum itaque nunciis Derekegyhaza, ubi tunc laboribus suis vacabat Dominalis inspector, P[er]illustris D[omi]nus Elias Szaplontai, commissum istuo seditiosorum eidem retulerunt nihilo secius, missis Szegedinum litteris, officiales comitatus de omnibus addocuerunt. Quae cura nostri senatus, eiusdem fidelitatem et sincerum aequi animum non leviter arguebat.

² Egykorú hivatalos jelentés szerint júli[us] 3- és 4- közti éjjel. Lásd Lábadi Ádám Csongrád m[egyei] alispán jelentését (1757 jun[ius] 9-ről) a hely tartótanácschoz az Orsz.[ágos] Levéltár miscellanea fasc. 52. no. 263. Szeremlei m[anu] p[ro]p[ria]

Eo tandem res omnium voto producta est, ut conquisitis in summa festinatione quotquot haberi poterant equitibus, quibus se apparitores comitatenses quoque jungabant, itum est insectandos seditiosos praemissi jam ante his fuerant bini exploratores, honorati cives. D[ominus] Samuel Déák et Stephanus Bajnai, quorum illi, nimirum Sam[uel]Déák haec expeditio luctuosa simulque exitialis extitit. Hi enim cum ubique vestigia premerent factiosorum, tandem trans Krysium, ascenso prominentione quodam colle, compererunt nebulonum colluviem non nimium procul inde, in planicie quadam fuisse apricatam.

Samuelis Déák animum non levis incessit terror, verentis, ne si cum rebellibus congregendum foret, ut legationis fidelitas postulabat, cum illis qui jam efferos gestabant animos cum periculo vitae foret decernendum. Habebat quoque apud se in loculo [9] aliquot aureos, quos ab quodam homine Vásárhelyensi forte obvio, ne quo pacto rapina cedant refractariis domum miserat. Incolumis quidem et salvus a praecampo periculo rediit Samuel noster; verum ob metus praecedanei; vehementiam, oeconomia sanguinis et humorum turbata ad insaniam mentis miser prolapsus est. Cognati, culpa ne vel errore, balneis fervidis medelam malo animae incaute nimis adferre satagentes, neququam profecerunt. Cum enim in tertium quartumne balneum reluctantem demergerent, superne vero, eadum balnei, vapores eius cohibendi studio linteo obducerent, plus ita valitum rati balneum, longe plus effecerunt nocivum. Spisso enim vapore ut credi omnino potest, anhelitum reprimente, cestu quoque intenso accidente factum est, ut innoxium virum, brevi post mortuum balneo extraherent. Vir fuit probus, pius, et ex optimis oppidi huius hospitibus, mihi quoque addictus, compater et familiaris. Hoc erat primum fatale consequens, cui ortum ac occasionem (ita more humano loquendo) subministravit tumultus a dictis nequam hominibus concitatus. (*Deák halála anyakönyvünk szerint 1753. jun[iusá]ban történt. Szeremlei m[anu] p[ro]p[ria]*)

Inopinata haec mors boni hominis bonis omnibus luctuosa fuit; familiae insimul damnosissima nam intestato decedens ne id quidem suis scitui dare potuit, ubinam abscondiderit bene [10] numerosam quam possederat pecuniae vim. Quo pacto familiam, antea opulentam reliquit egentiores.

Cum interea pessimi furfuris homines, summo studio ab emissis hoc fine nostris copiis quare rentur; cumque prope oppidulum Túr-Kevi, hinc inde circumventi et obpressi comprehendenterentur, primumque Szólokinum, post Budam vincti perducerentur: In oppido nostro, singulae fere aedes miserandis ejulatibus misceri captae sunt. Perfacile quippe erat divinare, execrandum istum nequam hominum excessum, toti oppido curas poenasque procreaturum.

Regio mandato, Budae commissio instituta fuit, e praecipuis Regni proceribus delegata, quae in omnes moti tumultus circumstantias inquireret, ferretque in reos sententiam. His proinde in jus vocatis, neque multum tergiversatis, haud longa mora omnia arcana detecta sunt. Quod omnium maxime nos, omnesque oppidanos in maximam formidinem praecipitavit, hoc ipsum erat, quod durante commissione, singulis fere diebus, veniente Szegedino perillustri ac G[eneroso] D[omi]no vice comite cum mandatis commissionis, alii atque alii perjurorum complices, istis proculdubio indigitantibus comprehensi, Budamque perlati essent; quo pacto reatui isti directe ac indirecte intricatorum numerus insigniter auctus fuit. Docuit eventus, quam plurimos in caussem adtractorum fuisse innocentissimos; quos conjurati, tanquam factionis suae conscos ac socios metu vel malitia commissioni detulerunt. [11] D[omi]nus Judexque noster primarius, Generosus D[ominus] Michael Báthori, et alter e duobus notariis nimirum D[ominus] Stephanus Literati, cum emerito jam tum senatore, per honesto sene, D[omi]no Francisco Pápai, multis annis notarii officio hoc oppido functi, et aliis aliquot bonae frugis civibus, citati, et sortem diuturnae captivitatis experiri coacti sunt.

Cum nos V[erbi] Divini Ministri videremus, ne his quidem talibus parci, noxiosque cum innoxiis eidem funesto casui implicari; dies noctesque, perpetuis terroribus exagitati in relligionem [sic!] facile evenire posse, ut Excelsae Commissioni ansa offerretur, pastoribusque caeteroquim quod ad hanc caussem innocentissimis, quocumque demum modo ali quid criminis intentandi. Certe spectabilis D[omni]nus Almási S[acrae] C[aesareae] R[e]g[i]ae que Ma[ies]t[atis] Consiliarius, qui in hac comissione adsessor sedebat, ipse post rem hanc evolutam, nobis referebat, momentum abfuisse, quin nos quoque V[erbi] D[omini]Ministri, citaremur³: Sermo enim incidere poterat facile, nostra saltem opinione, pastoribus quoque vitio dandum esse, quod auditorum nonnulli in pravitatem illam prolapsi fuerint; vel plane non edocti ab illis, vel saltem non sufficienter, de [12] observantia subditorum, quam supremo imperanti praestare obligantur. Omnino si Cleri Rom[ani] Catholici arbitrio commissio directa fuisse; si item judices, Dei, Regisque providentia Excelsa commissio a studio partium relligionisque [sic!] alienos non habuisse: proclive omnino fuisse, ecclesiam hanc nostram, eiusdemque pastores, occasione malorum istorum periculis quibuslibet exponendi, atque irretiendi.

Ego qui haec scribo pro memoria, in genue de me profiteor, nunquam me, ante et deinceps, per vitae meae dies, tanto tam que frequenti trepidasse metu ac terrore, non ignarus permultis probis

³ Ez nem épen így áll. Mert az udvar a bíróság elnökéhez írt leveleiben a békésiek ellen is elrendelte a vizsgálatot. A levelek az országos levéltár kancelláriai iratai közt 1753. szeptember 20. és 22-ről No. 112. é 154. Szeremlei m[aga] k[ezével]

innocentibusque viris, praesentim ecclesiasticis accidisse, ut tali quin levioris longe momenti occasione, tristissima fata, nulla sua culpa experientur nunquam non recordor certo quodam die ex agris peponum me cum conjuge mea curru reversum, hisque plus justo cogitationibus indulgentem, tantum horrorem obsedisse, ut quietus ac sedens, sudoribus maduerim jamque adeo imaginando, mihi visus eram, domum me redeuntem fortassis ab apparitoribus ad commissionem citandum exspectari.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem Virg[ilius] Aeneis 4.

Atque haec caussa fuit, quae me permovit, ut [13] vulgare quoddam Carmen, tam latino quam hungarico idomate componerem, in quo et fatalis huius eventus historiam exhiberem, et nostram reliquorumque oppidanorum culpa hac parentium innocentiam testatam facerem. Audiebamus quippe universos fere regnicolas, praesertim regni proceres, ex horrore tanti mali toti nostro oppido succensuisse, et ut fieri consvevit culpam perduellium, omnibus civibus adfricasse; nam certe omnis aevi experientia docuit, pessime audisse, societatem talem, e cuius gremio pestes istiusmodi reipublicae et pacis publicae turbatores exorti sunt.

Vicina regia civitas Szegediensis, a nostro oppido moribus, institutis, praesertim religione diversa, non pauca dedit alienissimi sui ob hoc factum ab oppido nostro animi judicia. Horrenda fuerant quae vulgus ibidem incautum de oppido nostro spargebat nimirum jam illud propediem totum demoliendum; incolas omnes suis facultatibus exuendos; senatores quot quot sunt ad unum, carnificis manu diris suppliciis plectendos.

Nonnulo die, templo egressi, stabamus pro more cum Cl[arissimo] D[omino] Collega prae foribus cincturae oratorii nostri, cum versus nos gressum moventem, adhuc nonnihil remotum, observabamus virum quandam, caetera per honestum Szegediensem, D[omi]num Mosen Kis. Is ubi accessit, mirabundus et motato capite dicebat nobis, se summopere mirari; simulque laetari, quod nos adhuc domi liberos et nostris [14] officiis vacantes videre valeat. Iam enim Szegedini fere omnibus creditum fuit, sparsumque in vulgus, quin sibi maximis multorum obtestationibus ac juramentis fuerit adseveratum, et quidem a talibus, qui suis oculis vidissent: Pastores ecclesiae utrosque hoc et hoc die plaustro cuidem ignominiose injectos, eorumque manibus carpo tenus hinc inde lateribus plaustri clavis ferreis affixis, hunc in modum inter miserendos ejulatus Budam fuisse avectos, suppliciis ibidem adficiendos. Adeo ut nulla injuria ad haec accommodare possum verba Virgilii Aeneis 2. V[ersus]. 361, 362.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando explicit? Aut possit lachrymis aequare labores?

Haec inquam et multa huius generis alia me adduxerunt, ut Carminibus istis, qualia natio nostra legere avet, asperos et efferatos multorum animos quantumpote lenirem, simulque demonstrarem ab exemplo aliquot nequissimorum hominum non faciendam esse conclusionem ad omnes reliquos oppidanos, a scelere isto nimium quantum abhorrentes; neque esse primores huius ecclesiae adeo bardos et hebetes, qui, quid distentora lupinis discernere non possent: quin imo ratione et revelatione adductos scire, Dei timorem et reverentiam regis junctim monente S[ancto] Petro Apostolo Christianae esse. Religionis [sic!] gravem et indispensabilem sententiam, proramque et puppim.

[15] Vulgares isti versus, de quorum scriptorum occasione superius monui, latine isti sunt, quive omnia quae multo meo labore de antiquis oppidi huius fatis sciri poterant, continent.

Facile mihi fuisset, jam quidem veterano poetae alio, eoque nobiliore genere carminis rem hanc expedire; sed scopus erat unice eo intentus, ut a quolibet etiam simplicissimo intelligerentur.

Exordium

1. Scelus, quod e nostris nonnulli patrarunt,
Proh! nefandum factum, quod hi attentarunt
Eloquar: detestans quod isti amarunt,
Quos judices aequi iam iam vindicarunt.

2. Scopus est: ciere sic horrorem facti,
Judicii famam servare peracti,
Renovare sacri memoriam pacti
Post reges beatos cum REGINA acti.

3. Incola sum loci, e quo nebulones.
Orti; et ex vite nascuntur stolones.
Ubi grex ovium: hic lupi, leones.
Et in orbe culto sunt bardi Iappones.

4. Abstergo quam possum hanc maculam gentis;
Non est haec macula cuiusquam ingentis;
Non praelatus, baro, nobilis; sed sentis,
Fex populi erat tam impiae mentis.

